

## Coleoptera nova e Transsilvania.

A professore Ormay Sándor descripta.

### 1. *Pterostichus Etelkae* mihi, nov. spec.

*Pt. transversali* Duft. similis, sed magis elatato habitu. Sulcis frontalibus directis et parallelis; pronoto longitudinem paullo superante, truncato-cordato, maxima latitudine aliquantulum ante medium, abhinc retro usque ad productos, obtusatos, potius acutos quam rectos angulos posticos manifestissime inflexo; elytris pronoto fere tertia parte latioribus, medium versus modice dilatatis; coxis, trochanteribus et tarsis dilute brunneis. Long. 15 mm. Lat. 6.5 mm.

A *Pterosticho transversali* facile distinguendus aliquanto latiori habitu et sulcis frontalibus parallelis, quos apud hunc foras oculos versus incurvatos esse constat. Maximi autem discriminis est in lateribus paullo post medium eleganter inflexum, hacque re cordatum pronotum, cuius latitudo aliquantulum ante mediam partem 5 mm, ante angulos posticos vix 4 mm efficit et in media parte ad 6.5 mm crescit. Abdominis segmentum anale eius modi est ac *Pt. transversalis*, dico apud masculum valido et retrorsum obliquo tuberculo longitudinali, apud feminam sulco transversali et in media parte aliquantulum exento insigne.

Collectus autem est a me die 18. mense Augusti a. 1887, uxore mea Etelka studiose juvante opera sua, in silva nubigena sub rupe Detonáta (in montibus Transsilvaniae metalliferis dictis ad oppidum Abrudbánya): Verum quinque exemplaribus plura colligere nequivimus, quod haec rupes basaltae, fama maxime celebrata, tanquam colosseum organum pneumaticum propriam vim nominis sui se ostensuram esse minabatur. Algerrime ex imminente tempestate, cui tum objecta

erat tota Transsilvania, in vicum satis remotum, qui appellatur Izbite Bucsum, confugere potuimus. Cuius excursionis memor aliarumque, quibus uxor mea quatuor hos annos maximo cum studio interfuit, eius praenomen huic coleoptero honoris causa imponere mihi in animo fuit.

Si fortasse sub rupe Detonáta etiam *Pt. transversalis* Dft. non inveniatur, intelligi non possit, quomodo Carolus Fuss, sagacissimus ille rerum observator, hanc speciem eandem esse atque *transversalem* Dft. arbitrari potuerit. Is in programma gymnasii Cibiniensis germanici a. 1858, pag. 30, de ea specie *transversalis*, quae sub rupe Detonáta invenitur, haec scribit: „Halsschild mit gleichmässig gerundeten, nicht eingeschwungenen Seiten und stumpfen Hinterwinkeln“. — Profecto exemplaria longe aliis locis inventa prae se habuisse videtur, utpote quam ad vicum, cui nomen est Remese (prope ab urbe Nagy Enyed) revera sinceri *transversales* Duft. reperiantur, nisi forte rerum natura tanquam illam rationem transmutationis sequens etiam intra annos triginta commutari potest. Auctoritatem Caroli Fuss secutus E. A. Bielz quoque existimavit in rupe Detonáta reperiri hoc coleopteron (Siebenbürgens Käferfauna, Hermannstadt 1887), quod etiam me ibi invenisse opinatus sum.

Nulla pacto possum vindicare eam laudem, quod hunc *Pterostichum* novum esse cognoverim. Domino Ludovico Ganglbauer laus ea tribuenda est, qui me ad eum benignissime attentum fecit. Nam prius minime venit mihi in mentem, ut Fussi et Bielzi sententias in dubitationem vocarem. Quantopere autem viam saepe tritam quoque opus sit respici, hac re clarissime ostenditur.

## 2. *Alexia Reitteri* Ormay, nov. sp.

*Subglobosa, subnitida, vix alutacea, obscure piceo-nigra; pronoto haud aperte subtilissime parceque, elytris dense et fortissime punctatis; pube longissima, erecta, sat dense vestita.* Long. 1.3—1.5 mm.

Proxima *A. pilosissimae* Friv. — Ab hac colore piceonigro et magis obscuro, pronoto multo subtilius parceque punctato, sicut elytris fortius, magis dense punctatis distincta. — Aliis verbis *pilosissima* Friv. definite subtilius punctata elytra habet atque pronotum huius ferme eius modi dense et solum aliquid subtilius punctatum est, quam elytra.

E. Reitter hanc novam speciem in suis operibus\*) cum specie ex Asia minore proficiscente *pilosissima* Friv. conjunxit, sed quum ego mea exemplaria non eiusdem generis ac *pilosissimam* invenerim eaque ad amplius explorandum ei miserim, speciem Transsilvanicam sine dubio novam existimat eiusque conjunctionem cum specie *pilosissimae* proxima affinitate reducendam esse. Quam ob rem *Alexia pilosissima* Friv. ex nostra fauna expungenda simulque locus in opere Bielzi (quod inscribitur Siebenbürgens Käferfauna, Hermannstadt 1887) „Kr.“ (recte Brassó) literis significatus novae speciei item descriptae tribuendus est.

Novae huic speciei *Alexiae* nomen honestissimi amici mei, Edmundi Reitter, honoris causa imposui. Quae res quidem nullius est momenti pro eius meritis, quae quantae sint inter omnes constat, sed tamen his potissimum causis ductus feci: primum quod laus literarum, quae ad perscrutandum genus *Alexiae* pertinet, longe artissime cum huius viri nomine conjuncta est; deinde memor benevolentiae, qua tam saepenumero me prosecutus est, atque rectorum consiliorum voluntatisque officiosae, quam in me contulit, nominibus quoque nostris jungendis gratiam tota mea cogitatione volui referre; denique quod E. Reitter profecto primus fuit, qui hanc *Alexiam* iam anno 1876 in montibus Kercziensibus collegit.

### 3. *Meleus Elekesi* Ormay, nov. sp.

*Oblongo-ovalis, piceus; pronoto longitudine sesquialtera parte latiore, lateribus subparallelo, angulis posticis rectis subacutis; elytris post humeros inflexis, costis in dorso subtiliter remote granulatis, extus fortiter punctatis; femoribus omnibus forte dentatis.* Long. 10 mm. Lat. 5 mm.

*Meleo Tischeri* proximus; ab hoc sicut a ceteris speciebus praecipue lato brevique pronoto differt. Squamulis aureis, setosis pari-divise, sed in lateribus densius vestitus. Rostrum grosse rugoso-punctatum, 5-carinatum, carina intermedia in apice furcata. Antennis crassis, rufis; scapo oculos non attingente; funiculi articulis duobus primis aequae longis, latitudine duplo longioribus, externis globosis et gradatim pingues-

\*) E. Reitter, Revision der *Alexia*-Arten. Deutsche Entom. Zeitschr. 1883. XVII. Heft II, pag. 238—241. — E. Reitter, Bestimmungstabellen der europ. Coleopteren, *Cucujidae* etc. Mödling 1885. 2. Aufl., pag. 36.

centibus; clava ovali, acuta. Capite subtiliter punctato, nitido fronte longiuscula fovea signato. Pronoto longitudine sesquialtera parte latiore, antice raptim, retrorsum versus vix conspicue angustato, angulis posticis rectis subacutis; superficie in parte antica subtiliter et parce, ceterum rude, confertim et cavernose punctata, laevique carinula longitudinaliter instructa. Elytris pronoto latioribus, latitudine maxima ad humeros deinde usque ad subito acuminatum et communiter rotundatum apicem subparallelis; costis in dorso remote subtiliter granulatis, extus fortiter punctatis; interstitiis alternis grosse elevatis fortiusque granulatis, quinto retrorsum calloso, septimo post humeros prominentes admodum inflexo. Corpore subtus remote punctato. Pedibus brunneis, parce pubescentibus, femoribus omnibus forte dentatis.

Detectus mense Septembri a. 1887 ad vicum Remete (prope oppidum Nagy Enyed); posterius (Martio a. 1888) etiam ad urbem Szamosujvár inventus.

Denominatus in honorem Caroli Elekes, professoris in collegio superiori Nagy-Enyedensi, cuius operae explorationem huius coleopteri debemus.

#### 4. *Pidonia lurida* var. *Ganglbaueri* mihi, nov. var.

*Major quam lurida* F., capite, prothorace pedibusque intermediis et posticis femorum basi excepta nigris. Long. 10—13 mm.

Novae huius varietatis elytra flavo-testacea ad marginem lateralem partis anticae duabus longiusculis maculis nigris ornata sunt; a typica forma postea differt segmentorum abdominalium dilute rufis marginibus.

Secundum literas a domino L. Ganglbauer mihi datas inventa est etiam in Illyria (Görz) et Serbia (Belgrad); apud nos in montibus Cibiniensibus et Fogarasiensibus sat frequens.

Honoris causa utque summam gratiam solverem custodi aulici musei Viennensis Ludovico Ganglbauer, quippe qui maximam lucem attulerit Cerambycidis perscrutandis, huius doctissimi viri nomen ei imposui.

<sup>91</sup> Inveniaturne apud nos *P. lurida* F., nunc diiudicare nequeo, suspicor autem hanc novam varietatem a nostratibus *luridam* esse putatam.

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Wiener Entomologische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1888

Band/Volume: [7](#)

Autor(en)/Author(s): Sándor Oromay

Artikel/Article: [Coleoptera nova e Transsilvania. 165-168](#)